



1781

103814

BIBLIOTHECA  
UNIV. JAGELLA  
CRACOVENSISS

Mag. St. Dr.


II

kat.komp.

1781







1154.  
Vilnensis Studiorum Universitas

1781.

- 1, Procerbus Martini, Univ. Reat. Oratio habita 8 Cal.  
Decembris a. 1781. cum magistratis academicis  
et Professoribus Scientiarum - reorumque arcentibus.
- 2, Varuzzenius Casim. I. F. d. Oratio in Studiorum  
instauracione - habita.
- 3, Prospectus lectionum.

1154.1102

1781

Utrum



UNIVERSITAS  
ET  
ACADEMIA VILNENSIS  
OLIM *1640*  
A VALERIANO PROTASEWICZ  
VILNENSIMUM ANTISTITE  
CONDITA: *20.10.1781*  
A GREGORIO XIII. P. M.  
A STEPHANO BATHOREO.  
ALIISQUE  
POLONIÆ REGIBUS  
ATQUE  
AB UNIVERSIS REGNI ORDINIBUS  
PROBATA *et* CONFIRMATA,  
NUNC  
AB AMPLISSIMO COLLEGIO  
PRÆFCTORUM  
INSTITUTIONI PUBLICÆ  
INSTAURATA,  
AC NOMINE  
SCHOLEÆ PRINCIPIS  
INSIGNITA.

ANNO DOMINI 1781.




VILNÆ  
TYPIS SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS  
PENES ACADEMIAM.

103814

" 1971

mag. St. Dr.





ORATIO  
HABITA  
MARTINO POCZOBUT  
SAC: THEOL: DOCTORE, CANONICO SMOLENSC: ASTRO-  
NOMO REGIO. SOC: LONDIN: MEMBRO, ACAD: REGIÆ  
SCIEN: PARISINÆ CORRESP:  
ATQUE  
UNIVERSITATIS ET ACADEMIÆ VILNENSIS  
RECTORE MAGNIFICO

OCTAVO KALENDAS DECEMBRES ANNO 1781.

*Cum Magistratus Academicus, & Professores Scientiarum, ab Amplissimo Col-  
legio Praefectorum Institutioni Publicæ creati, renuntiarentur.*

QUANTUM intersit Reipublicæ, Scholas & Academias informandas  
juventuti ad omne studiorum genus idoneas instituere, institu-  
tas legibus optimis instruere, instructas doctissimis magistris provi-  
dere, provisas denique tutelæ ac patrocinio Virorum principum, ac  
Magistratum committere, id unusquisque Vestrum PRINCEPS CEL-  
SISSIME \* SENATORES LITHUANIAE AMPLISSIMI, ANTISTITES ILLUSTRISSIMI,  
JUDICES ad SUPREMUM TRIBUNAL DEPUTATI, cæterique HOSPITES ORNA-  
TISSIMI, facilius potest perspicere, quam ego verbis assequi, &  
oratione quantumvis luculenta satis explicare valeam.

(i)

Majo-

\* Aderat Adamus Princeps CZARTORYSKI Terrarum Podoliæ, & Copiarum Lithuaniae Praefectus Ge-  
neralis, Supr: Tribun: M. D. Lit: Marescallus, unus e Praefectis Institutioni publicæ.

❧

Majores nostri, ne aliarum gentium ac nationum exempla conquiram, & in medium afferam, Majores, inquam, nostri, tantum præsidij tantumque boni publici in literarum ac scientiarum studiis positum esse crediderunt, ut eodem ferme tempore de jacendis Reipublicæ fundamentis, ac de erigendis Gymnasiis & Academiis cogitarint.

Sanè CASIMIRUS magnus, Rex Poloniæ, conditis legibus, stabilitis populorum juribus, institutisque Magistratibus, ac Tribunibus, cum urbes etiam mænibus ac propugnaculis munivisset, non satis se Reipublicæ consuluisse arbitratus est, nisi disciplinarum ac scientiarum arcem, Universitatem Cracoviensem fundasset.

VLADISLAUS JAGIELLO, quem nominare non possum, quin singulariter gaudeam, ac Lithuaniae nostræ gratuler, in ipsa etiam superstitionis & inficiæ barbarie non desuisse sibi Principem, quem cives patris loco haberent, exteri ad imperia expeterent, posteri mirarentur, & prædicarent, Christiani & literati Principes imitarentur: VLADISLAUS, inquam, JAGIELLO primū Magnus Dux Lithuaniae, deinde junctis æterno fædere æmulis, sibiique diu antea infestis populis, ac in unum regnum & gentem cooptatis, Rex Poloniæ, cum fidem orthodoxam indefesso ardore in sua præsertim Lithuania propagasset, hostes imperii superasset ac deflesset, paci ac tranquillitati suorum prospexit, nequaquam subjectos sibi populos feliciter ac beatè posse vivere existimavit, nisi Universitatem à CASIMIRO Rege captam persecisset, privilegiis munivisset, redditibusqut ampliasset.

Institere eò ardentiori studio & conatu majorum suorum vestigiis posteri Reges ac Principes, in excitandis hic atque illic gymnasiis ac lyceis, in conquirendis & accersendis optimis magistris, in propagandis ingenuis artibus ac disciplinis, qnò plus inde commodi & emolumenti in Rempublicam dimanare experti sunt.

In isto tamen laudabili atque præcellentí studio, nescio quid fin-



gulare, ac præter cæteros Reges Majores suos præcipuum habuissè videtur, clarissimus ille pace bellōque Princeps STEPHANUS BATHOREUS, de quo verè eruditissimus *Muretus*, quum ab eo, propositis amplissimis præmiis, Româ in Poloniam ad docendi munus vocaretur, scripsit: *se mirifico quodam studiô incensum esse viðendi ac venerandi cominus eum Principem, qui solus hodie confirmat vetus dictum hominis sapientissimi, tum demum beatas civitates fore, cum aut Philosophi regnarent, aut Reges philosopharentur.*

Hic eniverò Rex Philosophus, non meâ solum, sed ipsius *Mureti* omni prædicatione major, tantum literarum studiis ad rem publicam bene constituendam, & ad salutem atque felicitatem ci- vium firmandam tribuebat, quantum & is ipse & alii sapientissimi Principes, tum bellicæ scientiæ & virtuti, tum justitiæ, quæ regnorum cardo est, tribuendum esse putabant. Eodem quippe animi ardore, eodemque tempore validissimos exercitus compara bat, bellicas expeditiones fuscipiebat, hostes potentissimos profli gabat, invasas urbes & provincias recuperabat, imperii fines latè proferebat, quô supremum Lithuaniae Tribunal instituebat, scho las & gymnasia erigebat, geminas Academias: alteram Cracoviæ instaurabat, doctissimis Viris hinc illinc ad eam accitis, ac præ miò regali illectis: alteram Vilnæ ab immortali Antistite VALE RIANO PROTASEWICZ recens erectam, & à GREGORIO XIII. Pontifice Maximo Universitatis nomine & honore insignitam, (a) authoritate, patrociniò, ac diplomate suo regio, omniumque or dinum Regni confensione & lege firmabat.

Noverat enim Sapientissimus Princeps, tantùm abesse, ut bellica virtus & armorum potentia sine moderatrice armorum justitia, sine consilio, industria, & rerum gerendarum scientia, sartam tectam que Rempublicam servet, ut potiùs perniciem eidem & certum extium afferat; iustitiæ verò, consilio, industriæ & rerum gerendarum

❧

scientiæ locum non esse, ubi vera Philosophia, aliæque disciplinæ formandis civium animis idoneæ minimè florarent.

Noverant id posteri Principes, qui hanc ipsam Universitatem Vilnensem, non modò novis legibus, scitis, & constitutionibus Reipublicæ confirmatam, sed multis etiam juribus, privilegiis & honoribus auctam, in tutelam & patrocinium suum receperunt.

Insinitus sim oportet, ut vel scita Reipublicæ, vel diplomata Regum huc spectantia in medium afferam, vel etiam eximia eorumdem Principum in hanc univeritatem studia, & beneficia enarrem. Illud sanè præterire nequeo, quod me toties incredibili voluptate afficit, quoties fese menti & cogitationi meæ offert, quodque cum ad immortalem VLADISLAI IV. gloriam & amplissimam hujus Universitatis dignitatem, tum etiam ad insignem literarum ac literatorum honorem & commendationem videtur pertinere.

Decreti erant *Mathiæ Sarbievio*, hujuscce Universitatis lumini & ornamento, honores literarii. Summus vir pro insigni eruditione sua, ornatus erat laureâ Theologicâ. Constitutâ horâ adest Rex lectissimâ Principum ac Procerum coronâ stipatus, locum capit in Senatu Academicō, spectat literarias ceremonias, cumque ventum esset ad annulum Doctori recens creato porrigendum, ipse suum regio detractum digito offert *Sarbievio*. Dignum sanè munus summô Pòétâ ! dignum facinus magno Rege !

Jam quò ista spectat narratio, facile perspicitis Auditores ornatissimi: Scilicet non defuisse nobis Reges, quibus & literæ & literati homines magno in honore essent; quòd intelligerent sapientissimi Principes, quemadmodum ait STEPHANUS Rex suo in diplomate, (b) quo hanc ipsam Universitatem constituit, quòd intelligerent, inquit, *ad Regum, & Principum mutus pertinere*, *ut non solum justitiâ domi Rempublicam regant, foris fortitudine propugnant, prudentiâ & temperantiâ utrobique moderentur, sed etiam*

multò

❧

multò magis, ut eam vera erga Deum Optimum Maximum pietate,  
quæque sunt ad eam pietatem certissima instrumenta & adminicula, bo-  
narum literarum studiis instruant, excolant, & illustrent.

Quæ cùm ita sint, non est, Auditores ornatissimi, quòd aut  
Romanis *Julios & Augustos*, aut Gallis *Franciscos & Ludvicos*, aut  
Hispanis *Alphonfos*, aut Anglis *Carolos*, aut Borussis *Fridericos*,  
aut Roxolanis *Petros*, aut aliis nationibus alios Principes, vel li-  
teratos, vel literarum amantes invideamus. Est potius, quod ma-  
joribus nostris gratulemur de **CASIMIRO** magno, de **VLADISLAO**  
**JAGIELLONE**, de **SIGISMUNDO AUGUSTO**, de **STEPHANO**  
**BATHOREO**, de **VLADISLAO IV.** cæterisque fortissimis ac sa-  
pientissimis Regibus, qui hanc Rempublicam non armis modò, re-  
busque in bello præclarè gestis, sed etiam ingenuis artibus ac di-  
sciplinarum studiis in pace cultis illustrarunt, atque exornarunt.

Est etiam (utinam adsit mihi tantum vocis, ut me universa,  
quà latè patet, Polonia exaudire possit) est etiam, quod nobis ip-  
sis, posterisque nostris, quod literis, ac literatis omnibus, quod  
scholis, gymnasiiis, & Universitati huic, quod universæ demum  
Reipublicæ de **TE STANISLAE AUGUSTE** Regum optime ac  
sapientissime, & gratulemur, & immortaliter gaudeamus.

Etsi enim magna & præclara sint aliorum Regum ac Principum  
nostrorum in Rempublicam literariam merita, ille tamen incredi-  
bilis animi tui ardor, illud constans ac perpetuum studium, quo  
**TE** non uni alicui scientiæ, sed omni scientiarum ac disciplina-  
rum generi promovendo & amplificando devovisti, ita singulare  
Tibique proprium est ornamentum, ut eodem ipso omnes ante **TE**  
Principes longè superāris, planèque efficeris, ut Regnum Tuum, Re-  
gnum optimarum artium ac scientiarum meritò possit appellari. Et  
verò quodnam vel regnum vel tempus est, quò literæ magis, ac  
nunc, florerent in Polonia? aut quod genus literarum est, quod vel  
desideretur hoc tempore, vel Regno non debeatur Tuò?

❧

Sanè floruisse aliquando præclarum utriusque eloquentiæ studiū, testes sunt Kochanovii, Gornicci, Sarbievii; at hæc eadē eloquentia quos hodie non fecerit progressus, quæ in Te ipso perfectam summi oratoris formam exhibet? aut quò hodie magni Sarbievii æmulus, Te ipso judice, non pertigerit, cæptans, ubi desit ille? (c)

Extitisse antiquitatis & historiæ cultores, ipsa rerum gestarum monumenta a plurimis conscripta testantur; at quæ tum artis criticæ leges, ad quas omnia exiguntur hodie, aut conditæ sunt, aut servatæ?

Jam, quæ fuerit antè ratio philosophandi, qui status & usus universæ Philosophiæ, tacere me potius convenit, quād quidpiam dicere, ne de meritis optimorum ac sapientissimorum Principum, quos paulò antè laudavi, detrahere quidpiam videar. Quanquam non iniquus modò, sed planè deimens sit oportet, qui ea, quæ infelici quodam fato, vel, ut ajunt, calamitate temporum & regnum accidentunt, ipsis Regibus ac Principibus tribuenda esse putet.

Ego verò, nec vitiò Principum, nec fatò aliquo, sed sapientissimo DEI præpotentis consiliò factum esse arbitror, ut Tu quidem majorum Tuorum vota & cæpta perficias, nos verò, cum multa illis debeamus, universam Philosophiam totamque humanorum studiorum rationem Tibi Regnoque Tuo in acceptis referamus. Quare Divina providentia regnum omnium ac populorum gubernatrix, quæ Te ad hujus imperii solium, atque ad Reipublicæ salutem & felicitatem destinârat, eadem ipsa, Te & summa vi ingenii, cæterisque animi dotibus præditum, & optimarum artium studiis eximiè excultum, & scientiarum omnium præfidiis instrutum quād maximè esse voluit, ut id ardentius adamares, studioius in Regno Tuo excoleres, solertiùs perficeres, & propagares, quod ipse intelligeres, comprehenderes ac mente possideres; sie-

retque

(c) Numismatis, in quo Rex imagines Mathiae Sarbievii & Adami Naruszewicz effigi jussit, hæc est inscriptio: Quod non pertingerit cæptans, ubi desit alter.



retque etiam, ut quæ aliis grandia ac difficultia sunt, Tu ad ea na-  
tus esse viderère. Unde & hic ipse literarum ac literatorum amor,  
quasi à natura Tibi insitus, hæc Institutionis publicæ & schola-  
rum assidua cura, & multa alia certè magna & illustria, quæ in  
magnis regibus, tanquam eximia & insolita suspicimus & admira-  
mur, Tibi ita familiaria & consyeta sunt, ut incredibilem qui-  
dem erga Te amorem nobis quotidie inspirent, vix aliquam tamen  
admirationem creent, non quòd admiranda non sint, sed quòd u-  
su quotidiano jam quodammodo vulgaria, & se ipsis minora evasif-  
fe videantur.

Equis unquam Principum, aut majoribus ante Te stimulis &  
illecebris juvenum animos ad literarum studia excitârat, aut am-  
plioribus præmiis & honoribus doctrinam, industriam, & labores  
literarios muneras est? Celebris est & hodiecum crebris usurpa-  
tur sermonibus illa, quâ BATHOREUS magnus utebatur ad la-  
tinitatis studium cohortatio: *Disce puer latinè, & ego te faciam  
Moscipanie.* Quoties Tu Regali Majestate deposita, an potius jun-  
cta cum mira quadam vultu hilaritate ac benignitate, publicas  
scholas adire, literariis puerorum exercitationibus interesse, eo-  
rumque, quæ discerent, quæque scirent, testis ipse, perquisitor,  
æstimator & laudator esse voluisti? Quoties ingenuos pueros non  
hortari modò, sed more patris optimi complexari, ac etiam oscu-  
lis regiis ad virtutis & literarum studium allicere visus es?

Confessus VLADISLAI IV. in Senatu Academico hujuscem Uni-  
versitatis, ac annulus ab eodem Poëtæ suo oblatus, divinis, ut me-  
retur, laudibus in cœlum tollitur a scriptore, a quo historiarum  
monumentis consignatus est, (d) ac non ipsi solùm, sed mihi e-  
tiam, ut paulò antè dixi, & admirationem & incredibilem affert  
voluptatem. At Tibi, Regum optime, qui Musas ne Deorum qui-

B

dem

---

(d) Everardo Väsenbergio Embricensi Gestorum glorioissimi ac invictissimi VLADISLAI IV. Pol. & Svec.  
Regis Part. 2. L. 3.

❧

dem confessu & convivio excludendas esse arbitraris, nonne quotidie literati assident homines, ut & regiis dapibus, & Tu doctissimô ac syavissimô fruantur colloquiô?

Quis verò literatorum etiam Principum, qui ante Te floruerunt, in eam cogitationem est adductus, ut memoriam doctissimum hominum, vel pictis eorum imaginibus, vel simulacris æri incisis, conservandam, & ad posteros transmittendam esse putaret? Caruerunt istis honoribus *Copernici & Hevelii, Kochanovii & Sarbievii*, quibus Tu cùm plures alios doctos & præclaros Viros, tūm me ipsum etiam nihil tale merentem carere noluisti. Ego verò ingratissimus hominum sim oportet, nisi fatear, quod sentio: me quidem immortali hoc beneficio Tu id esse consecutum, ut jam *sublimi feriam sidera vertice*, posteris autem, quos Uraniæ spiritus afflaverit, viam, qua *itur ad astra* (e) monstratam, ac patefactam esse.

Quodsi est, Auditores ornatissimi, uti est profectò, quòd mihi de sapientissimo Rege immortaliter gaudeam, est etiam multò magis, quod vobis omnibus & universæ Reipublicæ gratuler. Quanquam enim ea omnia, quæ paulò antè commemoravi, magna sint & illustria, nihil tamen esse arbitror, quod magis & ad immortalē Principis gloriam, & ad Reipublicæ dignitatem utilitatemque spectare possit, ac illa educationis publicæ administratio, quam universi Reipublicæ ordines, ejusdem Principis consiliō, hortatu & auspiciō constitutam esse voluerunt.

Equidem, ut nihil de utilitate ac necessitate educationis bonæ hoc loco dicam, cùm unicuique perspectum sit, tantùm interesse Reipublicæ, bonam juventuti institutionem prospicere, quantum bonos & utiles Patriæ cives habere, in eo potissimum regno, ubi omnia communi omnium consiliō, non unius administrantur arbitriō; ego Auditores existimo, educationem juventutis nec bo-

nam

---

(e) Numismatis, in quo Rex imaginem Oratoris effigi jussit, est hac inscriptio: Sic itur ad astra.

❧

nam esse, nisi publica sit, nec publicam posse appellari, nisi à supremo aliquo Magistratu à Republica ad id constituto præscribatur & administretur. Nam præterquam quòd faciliùs est scholas publicas, quām universas privatorum domos magistris ac præceptoribus bonis & idoneis provideri: necesse est, privatas educationes, quamvis ab optimis & sapientissimis institutoribus tradantur, saltem hoc vitio laborare, quòd uniformes sibique similes, hoc est, ad eadem omnino principia, easdemque regulas exactæ esse non possint. Quām verò sit incommoda, ne dicam perniciosa unicuique Reipublicæ, præsertim liberæ, hæc privatarum institutionum diversitas ac dissimilitudo, utpote & æqualitati civium repugnans, & infinitarum deinde dissensionum parens, unusquisque facile perspicit. Mihi sufficerit monuisse, tantam esse vim educationis, quantam ipsius naturæ, sierique sæpenumerò, ut quos natura indigenas, cives, ac domesticos protulit, diversitas educationis alienigenas, exterios, ac etiam adversarios efficiat.

Quis porro educationem censeat esse publicam, quæ nec auctoritate publica, sed judiciō privatorum hominum, plerumque sua commoda magis, quām communem utilitatem spectantium, instituta fit, nec ab aliquo Magistratu Reipublicæ gubernetur? Ego sanè miror esse quosdam, qui tantum sibi juris tribuant, ut scholas arbitratu suo institutas, hoc nomine appellandas esse putent, imponantque imperitæ multitudini, ac si præclarè hoc modo de Republica mererentur. Utinam veriorem & boni publici & meriti haberent notionem, profectò & sibi & aliis persvaderent, publicam juventutis educationem tanti momenti esse, ut nihil sit, quòd magis ad jus, auctoritatemque universæ Reipublicæ, atque ad potestatem alicujus Magistratus ab ea constituti videatur pertinere. Si enim institutionem judiciorum, & administrationem justitiæ, si procurationem ærarii publici, si gubernationem rei militaris, in ditionem ac potestatem Reipublicæ redigimus, quid est, quòd ex

❧

ejus jurisdictione educationem juventutis eximamus, quasi vero & justitia, & aerarium publicum, & res militaris recte administrari possint a civibus, aut nunquam, aut male institutis? Quod si quipiam tantum juris parentibus tribuat, ut eorum arbitrio educationem liberorum relinquendam esse censeat: is, vereor, ne cum nimium pius esse velit in parentes, injurius evadat Patriæ, cui ego plus juris in cives, quam parentibus in liberos tribuendum esse putem.

Jam ut eò redeam, unde paulò digressus sum, gaudeo, vehementerque lætor, Tuis Rex sapientissime auspiciis, ab universis Regni ordinibus institutam esse hanc Educationis publicæ administrationem, quam cives omnes, ac universa Respublica Tibi sibi que meritò gratulari, exteri admirari ac etiam invidere possint. Etenim ubinam gentium tanta educationis patriæ habita est ratio, ut ei præficerentur gravissimi, ac sapientissimi Viri, inter Principes Regni, suffragiis omnium ordinum delecti? ubinam gentium institutus est amplissimus procerum ſeuatus, penes quem rerum gerendarum, ac docendarum in scholis, gymnaſiis, & universitatibus summa effet auctoritas, & potestas? Ubinam gentium procuratio educationis ac rei literariæ connumerata est inter amplissima Reipublicæ munera, iisdemque commissa viris, qui gravissimis patriæ negotiis præfecti sunt? Nusquam profecto. Evidem scio, nec vos latere potest, Auditores ornatissimi, instituta esse hic illic Collegia præfectorum vel rebus mathematicis, ut in Regno Sinensi, vel rei navali, ut in Britannia, vel examinandis methodis detegendæ geographicæ, ut ajunt, longitudinis, ut etiam in Britannia, vel denique administrandæ justitiæ reique militari, aut aerario publico, ut ferme ubique, ac in nostra præsertim Respublica; id quod etiam STANISLAI AUGUSTI debetur auspiciis. Quis ignoret quoque conditas ubique, magnō populorum ac regnorū emolumētō, Academias ac Societas Regias scientiarum & artium?

At



At ubinam gentium, Collegium Præsectorum Educationi publicæ ex viris principibus constitutum sit, planè ignoro. Id videlicet à DEO O. M. qui non solū Regum ac Regnorum, sed etiam teste Prophetâ: *Dominus scientiarum est*, id, inquam, sapientissimi Principis regno, id dignitati Reipublicæ Polonæ, id Vestræ sapientiæ ac virtuti, Moderatores & Arbitri Educationis publicæ, Vestræ fidei & integritati, Vestro in Patriam ac Rempublicam literariam amori destinatum ac decretum fuit. Quare divinô etiam beneficiō factum est, Viri Principes, ut in rebus gerendis, quæ muneris Vestri erant, quæque gravissimæ ac difficillimæ sunt, eximiè responderitis & spei Patriæ, & expectationi publicæ, & Vestræ dignitati.

Agebatur de ratione studiorum ad utilitatem generis humani, ad emolumenta Reipublicæ, ad commoda uniuscujusque civis spectantium; eam ut conderetis, instituistis Collegium hominum literatorum, qui cogitarent, meditarentur, ac suis in confessibus examinarent, quot classes scholarum iustituendæ, pro gradibus ætatis & cognitionis humanæ, quid in unaquaque classe juventuti tradendum, quid unicuique magistro, quid discipulis præscribendum esset. Quoties Vosmet ipsi his eruditorum virorum confessibus, deliberationibus, & consiliis interesse voluistis, nulli ut labore parceretis, ad id bene firmiterque stabiliendum, quod totius institutionis basis est & fundamentum. Atque hoc modo effecistis, ut adsit jam præclara studiorum ratio, non ab exteris regionibus accersita, sed patria, ac domestica, hoc est, accommodata usui viæ, non alibi, quam in Polonia degendæ.

At deerant libri in scholis publicis prælegendi, qui præscriptæ studiorum rationi essent conformes, & intelligentiæ juvenum pro diversitate ætatis consentanei; Ad hos enimvero conscribendos, eruditissimos quoque, qui operam & industriam suam huc conferre vellent, propositis conditionibus, & amplissimis præmi-

❧

is invitastis, atque rursus id consecuti estis, ut magistri æquè ac discipuli hòc etiam commodò & adjumentò non sint planè destituti.

Stabilita ratione studiorum, ac libris appositè ad eam conscriptis, quid Vos magis sollicitos habere debuit, Viri sapientissimi, quam illud, ne accideret unquam, ut bonorum magistrorum copia deesset tanta, quantum in universo regno multitudo discentium, & numerus scholarum postularet. Quid enim divina etiam ratio docendi prodeisset, nisi adessent ii semper, qui eam sequerentur, jam antè literarum studiis ad munus docendi comparati. Huic in commodo, quod profectò gravissimum est, ne unquam esset locus, ita insigniter provisum est, ut nisi Vobis tantum sapientiæ tribuerem, quantum inesse scio, divinitus id potius accidisse, quam humano confiliò factum esse crederem.

Cum enim optimè perspiceretis ita à natura comparatum esse, ut nisi homines ad quodpiam vitæ genus ac institutum formentur, diuquè sese exerceant, in eodem nec diu consistere, nec quidpiam laudabiliter & præclarè agere possint: primùm quidem iustitias seminaria Candidatorum, qui omnibus virtutis, doctrinæ, ac futuri magisterii præceptis instruerentur, tum excogitastis & effinxistis pulcherrimam speciem alicujus Reipublicæ, in qua sive spectentur leges & Magistratus, sive societatis vinculum, & quædam necessitudo, sive communis habitatio & ratio vivendi, sive commoda, præmia, & pænae, sive demum quæcumque statūs Academici instituta: ea omnia literarium aliquod imperium, vel, ut Vestro utar nomine, Hierarchiam fermè divinitus ordinatam exhibere videntur. Atque hanc sive Rempublicam, sive Hierarchiam, consociatis & confederatis scholis universis, velut provinciis ac dititionibus quibusdam, ita constare voluistis, ut geminarum Universitatum altera quidem in Polonia, altera in Lithuania, totius corporis esset caput, atque Schola Princeps & haberetur, & diceretur;

pro-

~~~~~

propterea, quòd utriusque tantum auctoritatis & potestatis tribuendum esse censuistis, ut eas rerum omnium moderatrices & arbitras, atque Collegii Vestri quodammodo vicarias constitueritis.

Quod attinet porro disciplinas ac scientias in universitatibus excolendas, nullam earum, sive divina sit, sive humana, ibi deesse passi estis, ubi sedem omnium, arcem, & emporium statuistis. Quare cum è quatuor Collegiis, quæ in totidem facultatibus universum scientiarum orbem complectuntur, in hac Universitate Medicum deesset antiquitus, ita illud hodie constitutum est, ac si diu jam antè floruisse, præsertim cùm immortali STANISLAI AUGUSTI beneficiò consecutum sit & selectissimorum librorum multitudinem, & immensam Historiæ naturalis collectionem, & herbarum atque plantarum ab ultimis terris allatarum copiam tantam, quantum insignis horti botanici magnitudo postularet.

Non est exilis Orationis meæ, sed amplissimæ dignitatis & auctoritatis Vestræ, Viri principes institutioni publicæ Præfecti, debitas Regi optimo gratias agere de tam illustri munificentia suæ monumento, quod, cùm salutem populorum carissimam esse Principi tam aperte demonstret, vicissim populos ad vota suscipienda pro salute Principis invitat. Mihi liceat, Universitatis hujus nomine, votis publicis accinere, superosque precari:

*Vitales inter succos, herbasq; salubres*

*Floreat ut populi vita salusq; sui.*

Collegiò Medicò ita constitutò, ut & hortò Botanicò, & theatrò Anatomicò, & musæò historiæ naturalis, & copiâ librorum atque instrumentorum, & clarissimis Viris, qui hanc scientiam publicè profiterentur, egregiè auctum ac instructum sit, nulli operæ nulisque impensis parcendum esse censuistis, ut aliæ quoque Facultates vel splendorem suum retinerent atque augerent etiam, vel si quid detrimenti passæ sunt, nova studiorum instauratione reflorescerent. Sanè hic musæi physici insignis apparatus, hæc magni-

❧

tudo ac præstantia instrumentorum Astronomicorum, hæc prope infinita multitudo observationum, hæc Observatorii celebritas tanta, quantam egomet ipse desiderare potui non expectare, & multa alia, illustre testimonium reddunt incredibili studio Vestro, quo **Physicas & Mathematicas** disciplinas promovendas esse putastis.

Sed dies me deficiat oportet, si vel totam instaurationem hujus Universitatis, vel omnem rationem Statutus Academicus, institutionemque literariæ Reipublicæ, quām paulò ante commemora vi, ita enarrare pergam, ut ubique commonstrem Vestram sapientiam, Vestram industriam, Vestrum boni publici studium, Vestram denique immortalem gloriam.

Quare cum ipsum tempus me admoneat, ut vela orationis meæ contraham, neque immenso mari me committam, primùm quidem DEO bonorum omnium auctori grātias quantas possum maximas ago, tum **STANISLAO AUGUSTO** Regum optimo ac sapientissimo, atque universis Reipublicæ Ordinibus gratulor de Vobis Viri Principes, demum eundem *Patrem lumen* precor, ut quam educationis patriæ administrationem & REGI & Reipublicæ & Vobis ipsis inspiravit, eandem sartam tectamque diu servet, atque omnibus bene evenire jubeat.





# CASIMIRI NARUSZEWICZ

S. THEOLOGIÆ DOCTORIS,  
PRÆLATI SCHOLASTICI SMOLENSCENSIS,  
VILNEN: UNIVERSITATIS SECRETARI<sup>II</sup>

## O R A T I O

STUDIORUM INSTAURATIONE

*Antequam Prospectus Lectionum in Universitate tradendarum  
promulgaretur,*

## H A B I T A

*ANNO DOMINI MDCCCLXXXI. OCTAVO KALENDAS DECEMBRES.*



Quod à DEO Optimo Maximo ardentibus votis deprecati sumus, ut hanc nimirum Scientiarum Universitatem, quam Sapientissimorum in Republica Virorum legibus institutam, sed suo adhuc in codice reconditam, inertem ac velut exanimem intuebamur, vivam tandem ac spirantem, atque palam loquentem, & suo utentem instituto aliquando spectare possemus; id hodierna die, propitio ac favente Numine, Rege an potius supremo literarum Altore opitulante, Collegio Præfectorum publicæ institutioni faciente, tota Republica literaria plaudente, cum summa animi nostri voluptate consecuti sumus. *Prin'ceps Celfissime Supremi Tribunalis M. D. L. Mareschalle, Lectissimi ejusdem Tribunalis Judices, Illusterrimi Antistites, Perillustres ac Reverendissimi*

D

Præ-

❧

*Prælati & Canonici, cæterique vestris titulis ornatissimi Auditores.*

Ornata & munita ab Illustrissimo Collegio Præsectorum publicæ institutioni Diplomatibus suis Universitas hæc, antequam publicè scientias tradere incipiat, specimen eorum, ad quæ postea perdiscenda avidiores & alacriores literarum alumni convolent, vestrum nunc A. O. in conspectum profert; simulq; eximiae ac singularis erga bonum publicum Serenissimi Regis, Collegiique Præsectorum publicæ institutioni voluntatis & beneficentiæ documentum exhibit luculentissimum.

Quid enim aliud sunt, ista Theologiæ, Physices, Medicinæ, Jurisq; Collegia, nisi totidem aperti & expositi pro Religionis & Patriæ felicitate uberrimi fontes, ab inexhausta Regia & Collegii Præsectorum publicæ institutioni liberalitate manantes? Nam cùm felicitas publica è singulorum Civium felicitate constet, hæc autem in optima juventutis institutione sita sit; ad perfectam verò institutionem & prodromæ sint, & duces literæ; illud profectò consequitur, ut, in qua literæ vigent, vigere & florere, ac felix Respublica esse debeat.

Quod cùm ita clarum sit, ut ampliore probatione non indigeat; satis me, & ad animum quām gratissimum erga Regiam Majestatem, ac Collegium Præsectorum publicæ institutioni in vobis excitandum, & ad hujus Universitatis laudem, amoremque scientiarum ingerendum, dixisse arbitrarer; nisi illud mentem subiret, quod ex ore atque oculis vestris, si me non fallit opinio, legere possum. Esse nimirum quosdam, qui boni publici nimio fortè, laudabili tamen semper desiderio incensi, in ipso nascentis, ut ita dicam, Universitatis exordio, & summa statim, & perfectissima ab ea exspectent omnia; illamque nisi celeberrimiſ illis Academij & Universitatibus Londinenſi, Parisinæ, Viennensi, Lugdunensi, Ticinensi, Montispessulani, Turonensi, Patavinæ, cæterisque, & par jam & æmula sit, minùs aestimari posse autument. Asperius

est

❧

est hoc, quod mihi aliquis vestrum objecerit; non tamen ita arduum,  
ut me solyendo imparem morari possit; imo vero A. O., istud ego  
vobis libenter concedam, ut summa nimirum omnia à nobis requi-  
ratis, eo tamen pacto, ut à vobis omnia etiam summa & sperare &  
consequi huic Universitati liceat,

Atque ut inde exordiar, unde potissimum laus hujus Univer-  
sitatis pendet, de Præceptoribus, quos hic domi ac peregrè con-  
quisitos videtis, omnia summa non ominari, sed certa spe præ-  
sumere, non polliceri, sed spondere sancteque promittere Vobis  
audeo. Viros enimvero omnis doctrinæ, eruditionis & scientiæ  
laude clarissimos, vitæ ac morum integritate conspicuos, omnique  
præconio dignissimos intuemini.

Quos ego, et si mihi quis, ne quod sentio eloquar, pallio ca-  
put obnupserit (ut Socrates, amorem vituperare jussus, volebat)  
tamen non laudare non possem. Neque hoc, quod dico, aliquis af-  
fentationi meæ tribuat, atque facile esse Athenienses ab Athenien-  
se laudari, dicat. Versantur ante oculos vestros ac etiam per ora omni-  
um feruntur ea virtutis ac doctrinæ documenta, quibus hi Clarif-  
fimi Viri necdum in hac Universitatis scientiarum luce positi, fa-  
tis jam superque nostris in oris, & scriptis inclaruere & factis.  
Quodsi splendor iste, quia Patrius & noster est, non ita purus ac  
pellucidus alicui videatur, nisi ab externo cœlo, & extera-  
rum Academiarum sole proveniat; noverit ille, Viros nostros in  
iisdem celeberrimis, quas superius nominavi, Academiis, & Univer-  
sitatibus, ob singularem doctrinæ, eruditionis & scientiæ laudem,  
magnum sibi nomen pridem comparasse, atque in eis partim Do-  
ctorum, partim Præceptorum, partim denique Membrorum & Soci-  
orum clarissimis titulis, totidem nempe virtutis & scientiæ suæ  
justissimis præmiis, insignitos & honoratos, atque in Universita-  
tum illarum & Academiarum ornatissimos coetus aggregatos esse.

Non est cur à Clarissimo hujus Universitatis capite, RECTORE

❧

Magnifico, Regio Astronomo, Londinensis ac Parisinæ Academiæ Scientiarum membro exorsus, singulorum nomina per censem, ne, & modestiam illorum, ob quam præclarè potius facere, quam præclaré facta laudari volunt, offendam, & vobis A. O. quæ pridem nota sunt, frustra recoquam. Eodem isti sub nostro, atque alii Sapientes Viri sub cœlo suo, scientiarum sole splendent, eadem luce coruscant, ac æmulum illis & par virtutis ac doctrinæ jubar diffundunt. Atque hoc erat A. O. quod illis, primùm Optimi æquè ac Sapientissimi Regini nostri, tum Collegii Præfectorum publicæ institutioni, existimationem, benevolentiam singularem, ac amorem etiam conciliavit adeo, ut virtuti eorum ac doctrinæ confisi, nil dubitarent, quin institutionem Patriæ juventutis, basim illam ac fundamentum publicæ felicitatis, illis concrederent, Vos autem, quasi signo quodam dato, de iisdem Præceptoribus omnia summ. perare juberent.

Quodsi à discipulis, qui horum præceptis instituendi sunt, pars statim expectatis; cogitate quæso, nos, veteri illa fatorum turbine diruta, novam è ruderibus literarum molem educere, illique Universitatem hanc, supremum veluti apicem, imponere, quo necdum cuiquam ita tritus ac pervius callis sit, ut ad sublime tam citò possit pertingere. Primas literarum classes, medias tandem, tum reliquas, veluti scalas quasdam & terat, & notas sibi reddat oportet, ut ad culmen quisquam enitatur. Quodsi id consecutus etiam fuerit, illud adhuc restat, ut superiores illas Mulas à limine primùm salutet, & in vestibulo sedium illarum novus hospes nonnihil hæreat, donec referato sibi ad sacrum illum Musarum Senatum aditu, eas sibi familiares & domesticas usu & exercitatione aliquot saltem annorum reddat, paremque illis doctrinæ & copiam & laudem tandem consequatur. Graue est A. O. omne, ut ajunt, principium, & paulatim summa esse petenda, justicerum æstimatores monent. Tenellæ sunt hæ dissentium plantæ  
quas

❧

quas etsi vetusto illi, succisæ olim fertilissimæ arboris trunco infestimus, opus tamen habent, ut ei primùm concrescant, & persectorum Magistrorum curâ ac industriâ diutius nonnihil foveantur, donec in ramos & folia diffusæ, novos & maximos, quos exspectatis, eosque perennes fructus afferant.

Neque hoc ita à vobis A. O. intelligi volo, ut hac exspectatio ne in progressu juventutis literario diu frustremini. Facile est ad suprema eniti, si, qui & iter monstrant, & laassis opem ferant, optimi adsint duces. Facile plantæ in arbores excrescunt, si industrios, qui eas sœcundissimo scientiarum rore perfundant, Magistros nanciscantur. Tales viros cùm habeatis; (quod facilius, & maturius, illi efficere id, quod à vobis expetitur, possint,) facite, ut, quod illi à vobis vicissim expetunt, & sperare, & consequi ipsis liceat; Vestram nimium gratiam, vestrum amorem & benevolentiam erga se maximam.

Nam si optimos in Patriâ cives habere desideratis, Scientiarum profecto, quibus ii tales effici possint, & studium, & amorem vobis inesse debere maximum, facile colligetis. Si Optimi & felices esse cupitis, eos, qui ad bonum & felicitatem publicam consequendam facem præferunt, omni, quâ potestis maxima, benevolentia complectimini. Felicia illa Regna esse dicitis, ubi aut Philosophi regnant, aut Reges philosophantur: non ignoro equidem à sapienti Magistratum gubernatione publicam pendere felicitatem; at illud etiam scio quod, ut gubernare bene ac sapienter Magistratus possint, à Doctoribus & Præceptoribus suis, qui gubernandi scientiam docent, hoc ipsum habeant. Utque ad Reipublicæ subsellia possint accedere, testimonii Academiarum & Universitatum, quæ eorum facultati suffragentur, paßim, atque utinam semper, nitantur. Quodsi itaque florentis Reipublicæ signum est, si à sapientibus gubernetur, erit profecto illud maximum, si illi ipsi, qui artem sapienter gubernandi docent, & florentes sint, & in amore ac honoribus habeantur. Non est novum A.O.



quod contendimus, sed pene proprium ac commune Academicis.  
Quorum plurimi, ob solam doctrinæ prærogativam, civilibus Ma-  
gistratibus & honoribus ornari promeruere. Horum omnium, studium  
ac patrocinium Regum ac Principum erga Academicos, uti pristi-  
num sic perenne, maximo nobis documento est. Non video cur  
exterorum exempla commemorem, ubi domestica se se offerunt. Quid  
invictissimi illi Reges SIGISMUNDUS AUGUSTUS, STE-  
PHANUS BATHOREUS, LADISLAUS quartus, JOANNES  
CASIMIRUS, quid Optimi suique simillimi duo AUGUSTI  
egerint, quibus gratiis, honoribus, privilegiis, immunitatibus  
Academiam hanc ornaverint & auxerint, ex oratione ante me in-  
stituta jam didicistis. Quid Regum optimorum ad exemplum com-  
positi optimi Cives, opum ac facultatum ad literarum incrementum con-  
tulerint, vel ipse isti parietes sumos Majorum nostrorum imaginibus  
spirantes loquuntur. Quid æmulus virtutum majorum suorum Re-  
gum optimus ac sapientissimus, idemque literarum cultor & exi-  
mius & maximus STANISLAUS AUGUSTUS, non modo ad hu-  
ius Academiæ, verum etiam ad totius Reipublicæ literariæ bo-  
num ac decorum, indies conferat, videtis, & me tacente intelligi-  
tis. Si modò hic tacere possum, ubi vox, gratiæ animi interpres,  
sponte sese è pectore proripit ac erumpit? & jucunda semperque re-  
cens Regalis munificentia memoria ingrati animi culpam reformidat?  
Quantum igitur potero voce contendam, ut omnes, quotquot hic  
adestis, hoc quod dicam, exaudire possitis: STANISLAUS AU-  
GUSTUS Rex Dominus noster clementissimus me à puero quidem  
literis deditum, & cum aliqua hominum approbatione in iis versa-  
tum, sed injuriâ temporum, rude jam, ut arbitrabar, donatum,  
sui Paterni amoris ac Regalis gratiæ plenissimis datis ad me literis,  
in eandem arenam denuo revocavit, Regio patrocinio firmavit ac  
stabilivit, oblato dein annulo, venerandam sui oris Augusti ima-  
ginem præferente, me arctius Musis devinxit, easdemque mihi in

per-

❧

perpetuum despondit, atque hac Regiae beneficentiae, meique amoris ac venerationis tessera immortali, (prout disertissimus Regiae voluntatis interpres, hujus aevi Literatorum facile Princeps, à me vero omnibus titulis colendus frater meus, suo elegantissimo carmine (a) est prosecutus) ad tenendum in stadio literario cursum calcar addidit.

Hic cùm clarissimi Viri Fratris mei mentionem facio, duo mihi, singularibus celebrium oratorum encomiis relinquenda, non tamen penitus à me reticenda, in mentem veniunt. Alterum: quām utile & gloriosum Patriæ esse possit vel unius viri acre ingenium cum affiduo labore conjunctum, ubi semel Regiis favoribus & beneficiis fuerit incitatum atque inflammatum; alterum: quāta spes viris doctis, faciendæ olim fortunæ suæ, nominisque illustrandi, in Rege doctrinissimo ac liberalissimo affulgeat.

Agite igitur A. O. & Regum conciviumque vestrorum exempla secuti; simili benevolentia studiisque Academicos prosequi non dignemini. Duros illi labores & sudores pro juventutis institutione exauriendos ex animo offerunt, & Patriæ civiumque felicitati jam jam consecrant; vos modò, in eorum virtute & doctrina, Regis sapientissimi & doctissimorum virorum, qui formandæ juvenuti cum potestate præfunt, exemplo induiti, omnem fiduciam reponite, & contra præjudicatas opiniones ac temeras obtrectantium voces eos strenue defendere, atque, quod mihi maximè dicendum, & a vobis expetendum, restat, ipsis artibus ac scientiis in hac Vniversitate explanandis confidere velit.

Erunt enim profecto, utinam falsus augur sim, nonnulli, qui novitate quarundam scientiarum & artium, veluti solis suborti radiis, lippientibus adhuc è somno oculis perculsi, eas vel ideo tantum, quia novæ sunt, non satis, ut par est, aestimare; vel, quod durius est, iis obniti, aut ancipiti animo & oculo respicer; aut denique quod pernicioſissimum est, mentes & studia ju-

(a) Videatur Ode XI Lib: IV. Illissimi Adami Naruszewicz Episcopi Coadjutoris Smolen: Notarii M. D.  
L. cum annulum a Serenissimo Rege mihi donatum, redderet, scripta.

~~~~~

ventutis ab iis avertere, manumque discentium, ferulæ, ut ajunt,  
Præceptorum subducere, non verebuntur.

Timenda sunt hæc A. O. æquè ac dolenda, atque in ipso fonte,  
unde pestis ista literarum manare posset, obstruenda sunt. Duas ego  
causas hujuscemodi mali, ut mihi quidem videtur, esse intelligo. Alteram:  
foecundam illam vitiorum matrem, ignorantiam; invidiam erga li-  
teratos alteram. Quodsi doctissimorum Virorum gloriæ quis invi-  
deat, non tam refutatione nostra, quam miseratione potius, si non  
contemptu, dignus sit oportet. Si ignorat, à nobis, vel brevissime  
instruatur, est necesse.

Quid verò in hac nova studiorum ratione sit, quod animum  
enjusquam avocare aut alienare possit, non video. Eadem est o-  
mnino, quæ in celeberrimis Europæ Academiis præscribi & usur-  
pari solet. Ecce igitur ista studiorum ratio, quæ, nisi illic novis indi-  
es sapientissimorum virorum inventis instauraretur atque ornaretur,  
vetus jam & obsoleta dici debuisset, vobis hic quadam inaudita  
novitate animos terret? Et cum florere apud vos literas, pariter ac  
in illis Academiis florent, desideretis, eam literarum normam re-  
spuitis, quam illæ fecutæ, uberrimos, metu novitatis non obstante,  
civibus suis fructus afferunt? Quid si nec nova hæc, quæ docenda  
aggredimur, nec aliunde advecta, sed intra gentis nostræ fines, at-  
que in sinu patrio nata, &, ut ita dicam, educata esse videritis?  
Repetite, quæso, paulo superioris ætatis memoriam, & literaria ve-  
terum monumenta in tenebris & cineribus forte abdita ac oblivio-  
ne sepulta eruite, atque in lucem proferte: & cognoscetis pro-  
fecto, earum, quas novas & extraneas dicimus, maiores nostros ar-  
tium & scientiarum parentes fuisse, eas fovisse, coluisse, magnis-  
que incrementis auxisse, atque sic cultas & auctas, veluti pulcherri-  
mam ac opulentissimam hæreditatem, cuius hodie possessionem ini-  
mus, testamento quodam nobis reliquisse. Infinitus essem si hujusmodi,  
plena dignitatis & antiquitatis monumenta, aureæ præsertim illi-

❧

us sub SIGISMUNDO AUGUSTO, HENRICO VÄLÉSIO (b), STEPHANO BATHOREO (c), SIGISMUNDO III. literarum ætatis, singillatim recensere, & vestræ mentis obtutibus subjicere persequerer. Nihil itaque de eorum scriptis celeberrimis ac admirabili variarum cognitione scientiarum, Historiæ scilicet naturalis, Physices, Mathefeos, tum Medicinæ, Rei agrariæ, Theologiæ, Jurisque Civilis ac Ecclesiastici, tum Philosophiæ Politicæ ac Moralis, sacræ & profanæ Historiæ, solutæ itidem ac ligatæ Eloquentiæ, quibus rem literariam in hoc regno illustrârunt, gloriarnque gentis suæ quà latè patet orbis literatus propagârunt, nihil inquam in præsentiarum dicam.

Sola eruditissimorum quorundam Virorum, ut mille prætereram alios, nomina, veluti: *Potoccii, Zamoyscii, Lubomirscii, Lubienisci, Opalinscii, Osolinscii, Sulikovii, Maximiliani Fredro, Morstynii, Poninscii, Piascii, Hosii, Varsevicii, Kochanovii, Sarbievii, Klonovii, Tvardovii, Otfinovii, Ineffi, Kmiecicci, Nicolai Rey, Simoniidis, Andreæ Kanon Roxolani, Chrościnii, Petri Skarga (d), Vujecii, Orichovii, Gornicci, Cromeri, Dlugoffii, Bielscii, Vargocii, Ryvocii,*

F

Koja-

---

(b) Sigismundo Augusto Rege defuncto cum Legati è Polonia, Henricum Valeſium ad Thronum depoſcen-  
tes, Parifios veniſſent, eorum excellentem doctrinam, & summam eruditioñem, variarumque lin-  
gvarum perfectam notitiam univerſa Gallia admirata est. *Solignac Històr. Polón. Tomo V.*

(c) Cum Marcus Antonius Muretus à Stephano Bathoreo proposita mille quingentorum aureorum in annos singulos mercede, ac ſpe Sacerdotii, ex quo non minus quingentos annuos aureos numimos caperet, in Poloniā vocaretur, amico ſuo Paulo Sacratō de hac re ſcribens, de Poloniis ſic ait: Ma-  
gna mihi, Sacrate, cum permultis Poloniſ familiaritas, magnus uſus, magna neceſſitudo fuit.  
Semper eos expertus ſum bonos viros, rectos, ſimplices, apertos, humaniſſimos præterea, & pro-  
prie omnes eo vitæ cultu, ac munditia, quæ ad elegantiam potius, quam ad uillam barbariū ac-  
cederet. Nugæ iſtæ ſunt hominum, eos, qui adulari, & fallere & aliud loqui aliud cogitare neſciunt, bar-  
baros vocantium. Utinam nos eo modo barbari eſſemus! utri vero barbariores ſunt, nati in me-  
dia Italia, quorum vix centesimum quemque reperias, qui latinè aut græcè loqui ſciat, aut li-  
teras amet? an Poloni quorum permulti, & earum linguarum utramque perfectiſſime callent, &  
ita literas ac liberales disciplinas amant, ut in eis tempus omne conſumant? olim illi fortassis aſ-  
peri ac barbari fuerunt, hoc quidem ſæculo, vereor, ne ad nos barbaries, ad illos cultus & ſple-  
ndor vitæ, & eruditio atque humanitas, mutatis ſedibus, commigrârint. *Epiſt. Lib. 2. Epiſt. LXVI.*

(d) Theologus, Historicus, Orator celeberrimus, primus Academiæ Vilnenſis Rector.

❧

Kojałovicū, Syrenii, (e) Rzączynscii, (f) Petricii, (g) Petri de Crescentiis (h) Copernici, Hevelii, Siemienovicii, Solscii, Bosgravii, (i) Krigerii, (k) Tylkovii, (l) Vysocii, Goslicii, Rescii, Cnapii, Bzovii, (m) Herbestii, Sokolovii, Starovolscii, Falisovii, Sakkii, (n) folia, inquam, Eruditissimorum Virorum nomina, totidemque literarum numina recensuisse sufficiat.

At hæc est rerum omnium humanarum vicissitudo atque infirmitas, ut, vel brevi durent, vel ipsa temporis diurnitate ad summum perfectionis apicem evectæ, paulatim mole ruant sua, ac oblivioni mortalium dentur adeo, ut nullum brevi, aut tenue admodum vestigium memoriamque sui relinquant.

Quod si cæteris rebus, literis certè accidere minime debuisset, quæ cùm alia omnia posteritati transmittere soleant, ipsæ profectò ætatem omnem ferre deberent. Secùs tamen A. O. accidit, atque iisdem, quibus Literarum Parentes & cultores, literæ cineribus persæpe tumulantur; è quibus tandem excussæ & veluti ab inferis revocatæ, quæ Majoribus fuere familiares & domesticæ, posteris alienæ & peregrinæ esse videntur.

Quod si sunt qædam artes & scientiæ, quas patriæ Juventuti proponimus, quæ vel postiliminio revocatæ, vel certè nostris in oris omnino sunt adventitiæ, eas tanquam publicæ felicitatis præcursoræ & nuntias hospitio nostro avidi excipiamus, atque etiam civitate donemus, ut, cum illas Patriæ felicitas fuerit consecuta,

quæ

- 
- (e) Historiæ Naturalis scriptor cœlebris, Doctor & Professor in Academia Cracoviensi ab Hallero clarissimæ  
hujus ævi Botanico miſericè laudatus.  
(f) Histor: Natur: apud exteræ etiam nationes satis clarus.  
(g) Philosophus & Medicus cœlebris.  
(h) Histor: Natur: ac Rei Æconom: scrip:  
(i) Anglia oriundus, Stephano Bathoreo regnante in Academia Vilnensi Professor Matheos.  
(k) In Academia Vilnensi Professor Matheos.  
(l) Primum in Academia Vilnensi, tum Pragensi, illuc invitatus, Philosophæ ac Matheos Professor.  
(m) E familia Dominicanoru in vario scientiarum genere innumeros penè eosque utilissimos scriptit Libros.  
(n) Philosophus Politicus, egregium scriptit Librum de scopo Reipublicæ Polonæ.


quæ nunc novitate terrent, consuetudine & utilitate ac mira cùm patriis legibus & institutis consensione tandem placeant.

Dulces hos utilissimarum scientiarum & artium fructus, si quis est, qui vel non satis perspiciat, vel quasi è longinquo adhuc positos esse autem, ad fontem is, ipsasque venas unde decurrunt, & scopum etiam quò collimant, proprius accedat oportet; tum puritatem ac salubritatem earum, suspensò præoccupatæ mentis judiciò, cominùs compleetur, & exploret. Nec aures tantum iis, quæ vulgò de literis temere effutiuntur, sed ipsis literis animum adhibeat, easque intus, ut ajunt, ac in cùte perscrutari conetur; neque ex adscita aliorum opinionè, sed ex sua sententia, de utilitate earum & fructibus statuat; eos profectò neque ita abstrusos, nec ita à nobis diffitos, ut rebatur forte, esse intelliget. Gemmæ sunt, sed suis adhuc conchis involutæ, quæ labore Præceptorum propediem evoluentur. Adamantes sunt recens è terræ visceribus eruti, brevi docentium limâ poliendi. Nucleus sunt juventuti propositus, sed duriore adhuc cortice inclusus, quem ubi illa semel adminiculo Magistrorum fregerit, pulcherrimam scientiarum & artium Iliadem inveniet, cuius odore & sapore suavissimo perfusa ac delibuta, verum illum tandem, ac genuinum literarum gustum, quem tantopere in civibus desideramus, concipiet imbibetque.

Superi his faveant fortunentque, hic verò labor, hoc opus, quod vestrâ A. O. præsentia & benevolentia freta Universitas hæc auspicitur, assiduum quotidianumque erit.



PRO-





## PROSPECTUS LECTIONUM. U K Ł A D L E K C Y I.

Partitio & Ordo hujus Prospectus, &  
Ratio studiorum, veteri hujus Uni-  
versitatis consuetudine præscribi so-  
lita, à quovis Professore tenenda,  
sequens erit.

Porządek Nauk y sposob dawania  
Lekcyi, dawnym w tey Akademii  
zwyczajem dla Nauczycielów prze-  
pisywany, na ten Rok, będzie na-  
stępujący.

Bibl. Jag.

THADEUS KUNDZICZ AA. LL. &  
Philosophiae Doctor, Collegii Phy-  
sici V. Secretarius, pro Matheos  
applicatæ Professore, diebus Mar-  
tis, Jovis, & Saturni horis matu-  
tinis, præleget spatiō currentis  
